






5.  
1782, 18:  
HISTORIA  
IVRIS CIVILIS  
DE  
**DIVORTIORVM CAVSSIS**  
**ET POENIS**

EX  
LEGIBVS VTRIVSQVE CODICIS  
ET NOVELLIS  
ILLVSTRATA.

*P. 400.*  
DISSERTATIO PRIOR  
QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRO

SVMMIS IN IVRE VTROQVE HONORIBVS  
CAPESSENDIS  
D. XII. SEPTEMBER. CIOCLXXXII.  
DEFENDET  
M. IO. FRIDERICVS IVNGHANS  
IVR. VTR. BACC.

LIPSIAE  
LITTERIS SOMMERIANIS.



DIDORHIONUM CAVASSI

ET FOENIS  
FELICISS. ALEXANDRE CODICIS

ET NOVITATIS

ATLANTICA

PROSPERITATIS ET LUXURIAE ORNAMENTA VACUO RITATE

SUMMIS IN TAV. ALIAS UNGUICULAS

IN HONORIBUS HINC HABITAS

ET PRO

HISTORIA

ET HISTORICO-SOMMITATIS



## PRAEFATIO.

**Q**ui de iurisprudentia rite tractanda, ut ille ad  
descenda praeciperunt, ii omnes huius esse senten-  
tiae inueniuntur, ut parent, eum, qui pro vulgaris quidem  
ratione iurisprudentiam tractare nolit, optime sibi esse con-  
sultetur, si, praeter alia scientiae iuris ediscendae admini-  
cula, historias eius, suau illi quidem studio, incubat.  
Neque enim fieri potest, ut aliquis leges vel recte inter-  
pretetur, vel speciebus, quae obueniunt, iuste adplicer,  
nisi, quantum haec vel illa lex, cessante fortassis ratione  
primaria, in nostris etiam foris habeat locum, ex historia  
probe intelligat. Nullam igitur, si extra modum haud  
prodeant, reprehensionem mereri videntur, qui multum  
temporis opera equaque in explicanda cuiusque iurispruden-  
tiae partis, singulorumque eius principiorum historia po-  
suerunt. Quem enim fugit, quot quantasque saepissime  
vicissitudines singulae iuris materiae passa sint? Quo qui-  
dem efficiunt, ut, nisi teneas, quae ab initio sancta, quae-  
que posterioribus forte legibus immutata sint, veterem  
abrogatamque legem pro valida usque gaudente vendita-  
re possis, qui tamen error omni studio est evitandus. Con-  
tingit imprimis haec legum mutatio doctrinae iuris Romani  
de diuortiis eorumque caussis. Aliae enim erant antiquissi-  
mo iure, ex regum nempe legibus, diuortiorum caussae;  
aliae vel potius nullae obserabantur libera republica, aliae  
denique variis Imperatorum constitutionibus iterum sta-

bilitae erant. Cum itaque tantum variatum sit circa diuortiorum caussas, operaे premium videtur, quomodo et quando et cur quaeque huius rei variatio facta sit, copiosius ostendere, ne forte antiqua et inusitata principia cum nouissimis confundantur. Quare animus mihi est, vicissitudines diuortiorum eorumque causarum historiam paulo vberius exponere, qua tamen in re, ita versabor, ut Imperatorum tantummodo, quae de diuortiis agunt, quaeque in Codice Theodosiano et Iustinianeo inueniuntur, constitutions, mihi sumam explicandas, cum, quae huius doctrinae fata sub Regibus, Decemviris, libera republ. et sub Augusto denique fuerint, doctissime atque elegantissime iam proposuerit Vir amplissimus, Senator huius ciuitatis grauissimus, G. E. AVGVSTVS MARCHIVS<sup>a</sup>). Supereft igitur, vt, quae ab Augusti inde temporibus sancierint Imperatores, proponantur; id quod huius libelli est consilium. Praemittam autem primo nonnulla in genere de natura atque notione diuortiorum ex principiis iuris Civilis de promta; quo facto, pauca tantummodo, ut iusto ordine perget tractatio, de antiquissima et recentiore diuortiorum historia adiiciam; quibus propositis, ipsa denique constitutionum, ab Imperatoribus circa hanc rem editarum, sequetur explicatio.

<sup>a)</sup> in diss. cui titulus est: historia iuris Civ. de diuort. Lips. 1764.

CAPVT

C A P V T I.  
DE DIVORTIORVM NATVRA  
A C  
IN DO LE.

§. I.

Quid sit diuortium.

Dicitur vero diuortium, rescissio matrimonii legitimi a viuentibus coniugibus cum consensu nonnunquam parentum vel extranei cuiusdam et animo perpetuam constituendi dissensionem ex iusta causa solemniter facta<sup>a)</sup>. Vnde autem diuortii vocabulum sit ortum, nondum constat inter eruditos. Varias enim a variis<sup>b)</sup> traditas esse huius vocabuli deriuationes, nemo ignorat, quas tamen recensere non est animus, cam res vberiore inquisitione digna haud videatur. Quamquam vero proprie diuortium pro matrimonii dissolutione dicitur, cum contra *repudium* sit, si sponsalia soluantur<sup>c)</sup>, Itet tamen et Imperatores saepe his verbis promiscue vtuntur, ita, ut sub repudio

A 3

intel-

a) l. 3. D. de diuorriis et repudiis.

b) cf. l. 2. D. eod. SCIP. GENT. de origin. p. 1367. in OTTON. ibid. Tomo IV. MENAG. amoen. c. 39

c) l. 101. §. 1. et l. 191. de V. S.

intelligant quoque diuortium propriæ sic dictum <sup>d)</sup>). Deinde et illud de huius vocis significatu notandum est, quod nonnunquam in sensu latissimo pro omni omnino matrimonia soluendi modo sumatur, quo sensu accipienda est in l. 8. *D. de condit. causa. data, causa non secuta.* Proprie vero intelligenda est de illa dissolutione, quae vel mutuo coniugum diffensu, vel ex causa legibus adprobata suscipitur. Vnde matrimonii dissolutionem per mortem aut *captiuitatē factam recte a diuortio sciungit* Paulus in l. 1. *D. de diuortiis.* Ceterum errare videtur *CIVIACIVS*, qui omne omnino diuortium ad contractus refert<sup>e)</sup>. Etenim in l. 42. *D. de iudiciis*, ad quam prouocat, ne verbo quidem, diuortium esse contractum, dicitur. Proponit enim ibi *PAPINIANVS* hanc speciem, maritum, vxore, quae repudium dedisset, alio forte loco degente, ratione dotis eo, vbi vxor habitet, diuortiumque factum sit, loco, esse defendendum. Deinde, quamquam diuortium in l. 7. §. 5. *de pac̄t.* bonae fidei iudiciis adnumeratur, id tamen de eiusmodi tantum diuortio, quod mutuo coniugum consensu, seu bona gratia, factum sit, intelligi debere, res ipsa docet, cum, si altero coniuge in vita sit, mutuus defit consensus, quem tamen in omni contractu adesse etiam iubent ipsa iuris Civilis principia. Sed haec de natura diuortiorum in genere; supereft nunc, ut de singulis eorum requisitis sigillatim exponatur.

## §. II.

- d) exempla habes in l. 6. *D. de diuort.* l. 59. *D. Sol. mazr. quem. dos rep. et multis aliis locis.*  
 e) in tract. de pac̄tis ad l. 7. §. 5. *de pac̄t. in com. ad. sis. de v. OBLIG.* ad l. 19. et passim.

### §. II.

*Requiritur a) ut legitimum fuerit matrimonium diuortio soluendum.*

Vt autem verum dici diuortium possit, plura adesse momenta debent, quorum primum est, vt matrimonium, quod solui diuortio debet, iustum fuerit legitimumque, cum, si contra leges nuptiae contractae fuerint, nec vir, nec vxor, nec nuptiae, nec matrimonium, nec patria potestas, nec successio coniugum intelligatur, adeoque, qui ex eiusmodi coitu nascentur, in patris potestate non sint, dissolutoque tali matrimonio, nec dotis, nec donationis exactioni locus sit<sup>f</sup>). Iustae vero nuptiae dicuntur, quae secundum leges initiae sunt, quamvis coitus non accesserit, cum non illo, sed consensu et affectione maritali nuptiae contrahantur.

### §. III.

*Requiritur b) ut secundum leges fiat diuortium.*

Alterum porro, quo verum efficitur diuortium, est, quod secundum leges factum esse debeat, id est, exhibitis illis solemnitatibus, quas obseruare lege Iulia de adulteriis iussit Augustus. Fieri vero debuisse diuortium praesertim septem testibus, ciubus puberibus, praeter libertum, constat. Quod si iis neglectis factum esset, non ratum erat diuortium, vni scribit Paulus Lib. 2. de adulteriis<sup>g</sup>). Vxor itaque, cui minus legali modo datum repudium erat, pro nupta

f) §. 12. l. de nupt. l. un. D. unde vir et vxor. Vlp. Fragm. Tit. XVI. §. 2.

g) l. 9. D. de diuort.

nupta adhuc habebatur, ideoque, si quis eam, sciens non ex lege factum esse diuortium, duxisset, adulterii reus erat, id quod tradit *Caius Lib. 3. ad leg. XII. Tabb.*<sup>h)</sup>. Arque eadem dicenda sunt de antiquiore iure, cum adhuc confarreatio ne et coemtione fierent nuptiae. Vero simile enim est, eiusmodi nuptias non nisi diffarreatio ne solui potuisse<sup>i)</sup>. Ex quo sequebatur, vt, si priuata quasi auctoritate maritus nuptias confarreatio ne contractas sine solemi diffarreatio ne aut remancipatione, solueret, diuortium illegitimum, ideoque sine effectu esset<sup>k)</sup>.

#### §. IV.

*Requiritur c) consensus patris.*

Porro etiam prohibitum est diuortium, eo sine factum, vt pater, quam pro filia dotem profectitiam dedisset, recuperandi ius amitteret. Cum is enim, filia constante matrimonio desuncta, in solarium quasi amissae filiae, dotem, quae ab eo profecta esset, repetere posset a marito superflite, siebat saepius, vt filiae vel mariti fingerent diuortium, quo quidem efficiebatur, vt pater iure, dotem profectitiam repetendi, priuaretur, quod ei tantummodo concessum legibus erat, si morte filiae, non vero si diuortio, solutum esset matrimonium. Atque eiusmodi fraudulentii diuortii effectus is erat, vt pater haberet dotis exactionem, ac si constante matrimonio deceperet filia, quia aequum

vide-

<sup>h)</sup> *I. 43. D. ad leg. Iul. de adul.*

<sup>i)</sup> cf. *GRYPEN. Ux. Rom. C. IV. §. 25.*

<sup>k)</sup> cf. *HEIN. antiqu. App. L. I. §. 47. seqq.* qui et reliquias diuortiorum solemnitates, antiquitus ferner folitas, breuiter exhibet.

videbatur. Praetorem patri non minus, quam marito succurrere debere; dabatur igitur patri vtile dotis profectitiae recuperandae iudicium. Neque porro intererat, pater aut mater dotem dederit, filius aut filia diuortium fecerit, fueritue sui iuris, an adhuc in patris potestate; semper enim requirebatur parentum ad diuortium faciendum consensus, si in laesio nem eorum fieret. Ex quibus simul adparet, in reliquis diuortiis, id est, in iis, quae in laesio nem parentum haud vergebant, non opus cōsentiu parentum fuisse, cum nihil damni ex iis caperent. Quod vero iustum aequumque visum est circa parentum, qui dotem dederant, laesio nem, idem etiam obtinuit, si extraneus pro muliere dotem dedisset, atque ex morte eius repetitio nem dotis sibi stipulatus esset, circumscribendi autem eius causa, factio repudio, breui tempore matrimonium a coniugibus rescinderetur; tunc enim, quas ante nuptias obtulisse res detales, recipere poterat, ne, quae contra ius gesta essent, obtinere ullum calliditatis fructum possent, quod diserte rescripserunt Imperatores Diocletianus et Maximianus<sup>1)</sup>.

### §. V.

#### *De parentum in diuortio diffensu.*

Vidimus iam, sine parentum consensu nonnunquam fieri haud potuisse diuertia; nunc est videndum, an *sols* etiam parentum *diffensu*, id est, cum coniuges quidem inter se concordant, sed patri alterutrius coniugis matrimonium

1) I. 3. C. cod.

nium displiceret, dissolui possit? Quae quidem quaestio facili decidi negotio posse videtur, si recte distinxeris, utrum nuptiae ab initio *consentiente* patre, an eo *inuito* fuerint contractae. Priori enim specie, matrimonium, si pater postea dissentiat, non potest solvi, nisi iustam magnamque habeat dissentendi causam, quod dissentis verbis Diocletianus et Maximianus ita constituerunt:<sup>m)</sup> *Dissentientis patris, qui initio consensit matrimonio, cum marito concordante uxore filia familias, ratam non haberi voluntatem, D. Marcus, pater noster, religiosissimus Imperator, constituit, nisi iusta et magna interveniente causa hoc pater fecerit.* Ex quibus itaque efficitur, quod, si ab initio pater dissentierit matrimonio, solo eius dissentit, si in eo permaneat, dissolui illud possit, etiam si nolant coniuges; quia nuptiae non iustae habentur, nisi accedit consensus eorum, quorum in potestate sunt, qui coire volunt.<sup>n)</sup> Verum grauiter obstat huic sententiae videatur *Paulus*, qui in sententiis receptis<sup>o)</sup> ita scripsit: *Eorum, qui in potestate patris sunt, sine voluntate eius matrimonia iure non contrabuntur; sed contracta non solvantur; contemplatio enim publicae utilitatis priuatorum commodis praefertur.* Sunt autem huius loci variae variorum explicationes, quarum nonnullas recensuit refutavitque *SCHVLTINGIVS P)* et si, quam ipse amplexus est cum *DVAREN O<sup>q)</sup>*, *VIN NIO<sup>r)</sup> et *BARBEYRACIO<sup>s)</sup>* sententia, cum vero huius*

<sup>m)</sup> *I. 5. C. eod.*

<sup>n)</sup> *I. 2. D. de R. N. I. 12. C. de nupt.*

<sup>o)</sup> *lib. II. Tit. 19. §. 2.*

<sup>p)</sup> *ad Pauli I. c.*

<sup>q)</sup> *ad Tit. D. sol. matr. c. 2.*

<sup>r)</sup> *Com. ad inst. de nupt. §. 12.*

<sup>s)</sup> *in not. ad Grot. de iure B. et P. L. 2. c. 5. n. 4.*

loci sensu haud conuenire videtur. Putauerunt autem viri illi, post verba: *Sed contracta*, scripsisse Paulum: *Volunta-  
re eius*: vel esse haec verba subintelligenda hoc sensu: Si pater ab initio matrimonio consenserit, non posse illud sola eius, in priori consensu non permanentis, voluntate con- traria dissolui, secundum l. i. §. vlt. D. de liberis exhib. er l.  
5. C. de repudiis. Verum enim vero si huic interpretatio- ni subscrivas, nullus verborum nexus adest. Proponit enim Paulus hoc iuris civilis principium, quo sine consen- su patris, in cuius potestate liberi sunt, matrimonia con- trahi non possunt. Quid vero, si tamen sine eius consen- su contracta sint? Respondit Paulus: Sed contracta (nimi- rum sine voluntate patris) non dissoluuntur. Ergo verba: *sine eius voluntate*, tacite potius intelligenda ex antecedentibus sunt, quam illa: *Voluntate eius*, vt vult Schultingius. Et quomodo, quaeſo, cohaereret haec inter se, si Paulus ita scripſisset: (vti tamex Schultingii mente scribere debuſſet) Eorum, qui in potestate patris sunt, sine voluntate eius, matrimonia iure non contrahuntur; sed contracta ab initio consentiente patre, sola mutata eius voluntate, non dissoluuntur. Sed melius omnia cohaerent, si ita legamus: *Eorum, qui — — non contrahuntur; sed contracta zamen  
SINE eius voluntate NON dissoluuntur*, addita hac ratione, quod reipublicae interſit, matrimonia potius contrahi, quam dissolui, ideoque priuatam patris, cuius ius consentiendi laesum est, vilitatem, publico postponendam esse commo- do. Nec videtur dici posse, quod *CONTIVS*<sup>1)</sup> statuit, matrimonium sine consensu patris contractum, iniustum

1) de cland. matr. in opp. p 604.

quidem, sed tamen toleratum fuisse, ut concubinatum tolerasset Romani. Primo enim concubinatus, non tantummodo quasi conniuendo, sed expressis legibus, permisus erat<sup>u</sup>); deinde etiam ex ipsis Pauli verbis adpareret, non solum de *consuetudine*, sed etiam de iure *scripto* non potuisse eiusmodi matrimonia solui. Atque ex eadem ratione corrueveret etiam OTTONIS<sup>x</sup>) conjectura videtur, quae haec est, patres ingratiss liberis veniam dare, atque, mali maioris vitandi causa, ratihabendo contractas sine eorum consensu nuptias sustinere esse solitos. Quae cum ita sint, necesse est, aut dicere, Paulum ipsum sibi contradixisse, quippe qui alio loco<sup>y</sup>) proponit, contractas sine consensu patris nuptias esse nullas; aut statuere: haec verba: *Sed contracta*, et quae sequuntur, non ab ipso Paulo, sed ab Alarico esse profecta, quae est etiam IAC. GOTHOFREDI<sup>z</sup>) CROTII<sup>a</sup>) aliorumque vero similima, opinio.

### §. VI.

*An filia furiosa repudium viro mittere possit?*

Porro requiritur, si quidem filia repudium mittere velit, ne sit furiosa. Ipsa enim propter dementiam diuertire non potest, sed nec curator eius potest, patri tamen nomine filiae furiosae, repudii mittendi potestatem, leges concesserunt. Ita enim tradit Vlpianus<sup>b</sup>): *Iulianus Lib.*

XVIII.

<sup>u</sup>) cf. BEINECCII Com. ad L. Iul. et Pap. Pop. L. II. c. 4.

<sup>x</sup>) Com. ad inst. §. XII. de nupt.

<sup>y</sup>) l. 2. D. de R. N.

<sup>a</sup>) de iure B. et P. L. 2. c. 5. n. 4.

<sup>z</sup>) Comm. ad L. 210. de R. I.

<sup>b</sup>) L. 4. D. de diuorciis.

**XVIII.** *D. quærit, an furiosa repudium mittere, vel repudiari possit: Et scribit, furiosam repudiari posse, quia ignorantis loca habetur: repudiare autem non posse, neque ipsam propter demen-  
tium; neque curatorem eius, putrem tamen eius nuncium mitte-  
re posse.* Itaque filia ipsa durante adhuc furore non poterat  
repudiare; attamen, quod tempore dilucidi interualli, vbi  
interim cessabat omnis curatoris potestas, atque furiosus  
hereditatem adire, et omnia sua, quae sanis hominibus  
competunt, recte facere poterat<sup>c)</sup>, vxor repudiare potuerit,  
nulla dubitandi adest ratio. Sed nec curator eius repu-  
dium mittere poterat. Sicuti vero omnibus omnino fu-  
riosis ex duodecim Tabb. curatores dari debebant proximi  
agnati, ita etiam vxori furiosæ curator constituebatur;  
et quidem, si in patris mansisset potestate, cum iure Ro-  
mano patria in filiam potestas nupsiis non, nisi in manum  
mariti conuenisset filia, dissolueretur, pater datus ei cura-  
tor videtur. Quod si autem sui iuris esset vxor, maritus  
praeteriri poterat, ita, vt proximus daretur agnatus. Non  
oportebat enim maritum vxori mente captae curatorem  
dari, vt loquitur Papianus<sup>d)</sup>. Poterat tamen etiam da-  
ri; vocabulum enim oportet, in laudata lege significat de-  
bet, id est, non necesse erat de iure, virum curatorem con-  
stituere. Mater tamen filiae furiosæ a cura eius plane ar-  
cebatur; nulla enim ipsi eius competitet iure defensio.  
Quare etiam, cum mater, nomine filiae furiosæ, quae a  
marito repudiata erat, cum hoc instrumenta quaedam fe-  
cisset, ea pro inualidis declarauerunt Imperatores Diocle-

B 3

tianus

e) L. 4. C. de Curat. furioso.

d) L. 15. D. de cur. furioso.

tianus et Maximianus<sup>e)</sup>. Quodsi itaque alius, nisi pater, filiae datus esset curator, is non poterat furiosae marito mittere repudium. Quae vero huius rei ratio? Haec sine dubio, quod curatoris potestas magis ad bonorum administrationem corporisque sanitatem, quam ad personae curam pertinerer. Quapropter curator quidem, si maritus vxoris curam nullam haberet, adire iudicem debebat, ut maritus alimenta vxori praebere cogeretur. Sed non pertinebat ad curatoris officium, nubat pupilla an non, quia officium eius in administratione erat positum<sup>f)</sup> atque ex hac ratione matrimonii et diuortii cura non erat officio eius comprehensa. Quod si igitur vxor furiosa sui iuris esset, solus maritus, non vxor ipsa, nec pater eius, nec curator, diuortium facere potuit. Ex quo simul intelligitur, vitiosam esse aliquorum librorum lectionem, qui in L. 4. C. de curat. furiosi, ita habent: *Cum repudiante furiosa sui iuris constituta maritum rel.* Sed ita potius esse legendum: *Cum repudiante furiosam sui iuris constitutam marito rel.* Quam etiam lectionem nonnullos libros seruare L. CHARONDAS<sup>g)</sup> et IULIVS PACIVS<sup>h)</sup> testantur.

### §. VII.

*D e i u r g i o.* Ultimum veri diuortii requisitum hoc est, ut animus coniugum, perpetuam constituendi separationem, adsit; in quo quidem diuortium a iuris<sup>i)</sup> differt. Quod vero, ut eo melius

e) L. 4. Cod. cod.

f) L. 20. D. de R. N.

g) ad h. L. in edit. Cod. quae Antwerpiae 1575. edita est.

h) ad eand. L. in edit. Corp. Iur. 1580. 8 vol. excissa.

melius intelligatur, pauca de eius natura dicenda videntur. Iurgium vero seu frigusculum (ita enim potius legendum videtur quam cum BRISSONIO *fribuscum* aut cum aliis *friuiuscum* vel *friuolum*). Durante enim animi calore amor coniugum frigeret, et ita etiam vocabulum graecum *Anxoris* usurpatur. cf. CONNAN. com. iur. Civ. l.8. c. II. n. 9.) erat secessio coniugum temporaria, dissensionibus et inimicitiis inter eos ortis, facta. Fiebat itaque ista separatio animo coniugum irato, ita tamen, ut non in perpetuum secederent, sed facta post aliquod temporis interuum in facello Deae Viriplacae, ubi conueniebant coniuges secumque colloquebantur, reconciliacione<sup>1)</sup>, matrimonium prius interruptum continuarent, quod restituare, instaurare, renouare, redintegrare matrimonium dicebant Icti Romani. Vbi itaque coniuges, durante iracundiae calore, repudium sibi missent, sed postea ad se reueterentur, plane non diuortisse videbantur, licet forte alteruter coniugum, facto, durante iurgio, diuortio, alias secundasque nuptias contraxisset, et, solutis his secundis nuptiis, ad priorem coniugem reuersus esset<sup>2)</sup>. Hoc enim si accideret, prius matrimonium continuabatur, nec pro soluto habebatur, dummodo reconciliatio non multo tempore interposito subsequeretur<sup>3)</sup>. Quare restaurato, cessante iurgio, matrimonio, dos prioris per iurgium interrupti matrimonii manebar<sup>4)</sup>, nec mulier reuersa actione ex stipulatu aduersus maritum ad dotem prioris matrimonii reddendam vii poterat, et, si post diuortium forte

iam

i) V A L. M A X. L. II. c. I.

k) L. 64. D. de iure dor.

l) L. 33. D. de R. N.

m) L. 31. et L. 41. D. de iure dor.

iam egisset, sed iudicio de dore repetenda a marito contestato, reuersa esset, redintegrato matrimonio expirabat iudicium, et res in pristino statu manebant<sup>n)</sup>, nisi forte extraneus dotem pro muliere dedisset. Tunc enim iudicium acceptum ex stipulatu non dissoluebatur, etiam si mulier post diuortium ad maritum reuersa esset<sup>o)</sup>. Hinc porro, non reuocatis post redditum ab vxore prioris matrimonii tabulis dotalibus, prior dos renouata habebatur, ne mulier ad posterius matrimonium indotata accessisse videretur<sup>p)</sup>; nisi, reuocata priore dote, noua plane constitueretur, quo quidem casu maritus dotem, quam ex priori iam matrimonio tenebat, restituere condicione sine causa cogebatur<sup>q)</sup>. Itaque sine dote matrimonium redintegrare haud poterat mulier; sed aut noua constitui, aut prior dos manere debebat<sup>r)</sup>. Quoniam igitur posterius post iurgium initum matrimonium pro continuatione prioris censebatur, donatio quoque inter virum et vxorem ante iurgium facta, restaurato matrimonio, non valebat, quasi perdurauerint nuptiae priores<sup>s)</sup>. Eadem de causa iudicium rerum amotarum contra mulierem, diuortio iam facto, institutum, redintegratis nuptiis expirabat. Quod si tamen post restauratum matrimonium iterum factum esset diuortium, actio rerum amotarum, per matrimonium renouatum extinta, quasi reuivisebat; ideoque maritus propter res amotas prioris matrimonii iterum agere poterat<sup>t)</sup>.

<sup>n)</sup> L. 13. D. de 19. iure dor. L. 19. D. sol. marr.

<sup>o)</sup> L. 42. §. vlt. D. cod.

<sup>p)</sup> l. 40. D. de iure dor.

<sup>q)</sup> l. 50. eod.

<sup>r)</sup> l. 32. D. de pact. dorat.

<sup>s)</sup> l. 32. §. 13. D. de donar. ins. vir et uxor.

<sup>t)</sup> l. 23. et l. 30. De rer. amos.

Quem.

Quemadmodum vero nemo ad nuptias contrahendas, ita nec ad eas continuandas cogi potest. Vnde si coniugem, qui alteri repudium miserat, eius rei poeniteret, et matrimonium redintegrare et continuare cuperet, alter vero, cui missus erat repudii libellus, redire, cognita poenitentia, nollet, matrimonium solutum manebat<sup>u</sup>). Quod si tamen tertio cuidam ius dotem prioris matrimonii repetendi competerer, absque eius consensu prioris dotis renovationi fieri haud poterat, quia tertio ius qualitatum auferri sine eius voluntate non potest. Quapropter si filia, quae in manu mariti non conuenerat, atque in patris manserat potestate, eo non consentiente, ad priorem virum regressa esset, pater dotem repetere poterat<sup>x</sup>), quia iniustiae habebantur nuptiae, sine parentum, in quorum potestate liberi erant, consensu renouatae<sup>y</sup>). Ex eadem ratione extraneus dotem, quam pro muliere stipulatus erat, repetere poterat, si absque eius voluntate matrimonium restauratum esset; nisi dos ab ipsa muliere profecta esset, tunc enim extranei consensu haud opus erat<sup>z</sup>). Verum sufficient haec de iurgio. Ex his enim, quae hactenus dicta sunt, facili negotio, quomodo iurgium et verum divorvium differant, intelligi poterit.

### VIII.

#### *Applicatio huius doctrinae.*

Addamus iam pauca, an, quae de iurgio prolata sunt, vsu hodie gaudeant. Atque monendum illud videtur, haec omnia

u) l. 7. D. de diuort.

x) l. 7. C. de nupt.

y) l. 12. D. de R. N.

z) l. 63. D. de iur. dot. l. 29. §. 1. D. de pact. dosal.

C

omnia fere ad separationem quoad thorum et mensam, quae nostris temporibus, orto inter coniuges iurgio, ex principiis iuris Canonici obtiner, posse accommodari. Differt tamen in nonnullis coniugum fecessio propter iurgium apud Romanos facta, ab hodierna quoad thorum et mensam in illo casu consueta separatione. Iure enim Romano matrimonium reuera per iurgium soluebatur; sed iure Canonico manet matrimonii vinculum. Neque porro opus est apud nos patris ad continuandum matrimonium consensus, quia ex legibus et moribus Germanorum patria in filias potestas nupiis semper soluitur, et filii, eriamis forte separatam oeconomiam haud instituerint, facta cum coniuge reconciliatione, ipso iure ad continuandum matrimonium obligantur. Ex quo simul fluit, nec tertium, qui dotem dedit, consentire debere. Cum denique secundum nostros mores mulieres eriam indotatae esse possint, sequitur, ut hodie, restaurato matrimonio, dotis prioris renouatio aut nouae constitutio, haud sit necessaria. Quae vero de donatione inter virum et vxorem, et de actione rerum amotorum dicta sunt, ea sine dubio applicari separationi quoad thorum et mensam possunt.

---

CAPVT

CAPVT II.  
 HISTORIA  
 DE  
 CAVSIS AC POENIS DIVORTIORVM  
 S V B  
 ROMVLO, DECEMVIRIS ET LIBERA REPVBICA.

---

§. I.

*Historia sub Romulo.*

Tradidi haec tenus, quae ad veram diuortiorum natu-  
 ram et indolem requirantur. Sequitur nunc, ut ipsa eo-  
 rum fata a Romulo inde ad Imperatores usque persequar,  
 in quibus tamen enarrandis paulo breuior esse potero, cum  
 eam iam alii, nominatim vero Cel. MARCHIVS in doctiss.  
 supra laudata differt, elegantissime proposuerit. Liceat igit  
 tur spicilegium tantummodo instituere eorum, quae addi  
 adhuc posse videntur. Quae vero fuerit Romuli temporis  
 maritorum diuertia vxoribus mitendi potestas, ex  
 Dionysio Hal<sup>a)</sup> et Plutarcho<sup>b)</sup> satis constat. Ille enim  
 duas tradit causas, propter quas maritus ab uxore diuer-  
 teretur poterat. Quod si enim vxor adulterium commisisset,  
 aut vinum bibisset, recte a marito repudiabatur; hic vero  
 duas addit alias: si uxor liberos occidisset, vel claves adul-  
 terasset. De quibus tamen causis, cum plurima iam ab  
 aliis, praefertim quoque a Cel. MARCHIO pereruditate pro-

C 2

lata

a) *Ant. R. L. II. c. 26.*

b) *Vita Romuli. c. 42.*

lata sint, pauca tantummodo addam. Et duo quidem sunt, de quibus nonnulla proponenda videntur. Primo enim interpretes, quid Plutarchus sub clauium adulteratione voluerit, non conueniunt. Sunt enim, qui eam de furto vxoris intelligent, si vxor claves furandi animo adulteraset aut summouisset. Quae quidem explicatio non plane reiicienda videretur. Non enim obstat, quod obiiciunt, vxoris furtum non diuortio, sed, soluto matrimonio, actione rerum amotarum vindicari. Romuli enim temporibus nondum inuenta erat rerum amotarum actio, quae Edicto perennio recepta est <sup>c)</sup>. Deinde rerum amotarum actione tunc demum agere maritus poterat, si vxor sub spe diuortii aliquid subtraxisset <sup>d)</sup>. Quid si ergo *sue* diuortii consilio factum esset ab vxore furtum? Tunc vii maritus condicione iuris gentium debebat. Sed hac condicione ex instituto Romuli opus non erat. Maritus enim ipse, tanquam iudex domesticus, vxoris delicta, adhibito agnatorum consilio, punire poterat. Et curni diuortio vindicare vxoris furtum potuerit, nulla causa prohibet. Cum enim valde periculosum fuisset marito, vxorem, quae eius res subtraxerit, clavesque furti causa summouerit, rerinere, quia tunc facile improbitate vxoris ad inopiam reduci potuisset, non inconsultum sane fuisset, si marito potestas eiiciendi plane e domo eiusmodi dulcem coniugem, concessa fuisset.

Quod si tamen haec coniectura non placeat, aliam, quam nonnulli defendunt, proferam explicationem. Puntant

c) I. 2. C. *rer. amot.*

d) I. 25. D. *cod.*

tant autem <sup>e)</sup>, non κλειδων sed παιδων esse legendum, id est, si parvum summouisset vxor, quae tamen lectio non admittenda videtur, cum et codicum desit auctoritas, et hac emendatione haud opus videatur. Alii denique intelligunt haec verba de remotione clavium cellae vinariae <sup>f)</sup>. Solebant enim mariti claves cellae vinariae in separatis loculis seruare, ne mulieres vinum bibere possent, quod ipsis ex legibus Romuli prohibitum erat. Si igitur mulier claves illas summouisset, ut adirum sibi ad suauem istam cellam aperiret, non immerito pro graui id crimine causaque diuortii haberi poterat, et si nondum vinum bibisset, cum tamen bibendi animus adfuerit. Quae quidem opinio exemplo, quod Plinius <sup>g)</sup> adfert, egregie confirmatur. Matrona enim, quod loculos, in quibus erant claves cellae vinariae, resignauisset, a suis inedia mori coacta est. Quod si enim propter hanc resignationem necari a suis poterat, nihil impedit, quo minus etiam a marito domo expelli, eique repudium mitti potuerit. Quid? quod ridiculum foret, statuere, marito quidem vxorem necare propter illud factum licuisse, sed nuncium ei mittere haud permisum fuisse. Sed haec de Plutarchi loco, dicam nunc de aliis.

### §. II.

*An maritus uxorem necare potuerit?*

Alterum, in quo non conueniunt eruditii, est quaestio illa, an marito propter adulterium uxorem interficere

C 3

licue.

e) e. g. *Guil. Xylander*, cf. *MARCH.* c. diff.

f) cf. *MARCI LIVS* in *interpretam.* XII. zabb. c. 26.

g) *Hist. Naz.* L. XIV. c. XIII.

licuerit? Quae quidem quaestio, et si ad meam tractationem pertinere haud viderur, cum tamen non plane aliena sit, licet paucis, quae sentiam, proferre. Adfirmat hanc quaestionem LIPSIVS<sup>h)</sup> et EV. OTTO<sup>i)</sup>; negat eam CVACIVS<sup>k)</sup> et MARCHIVS<sup>l)</sup>. Prouocat imprimis Lipsius ad Taciti locum<sup>m)</sup>, qui ita se habet: *Pomponia Graecina, superstitionis externae rea, mariti iudicio permissa; isque prisco instituto de CAPITE famaque vxoris cognouit.* Ex his vero verbis satis Lipsii sententia confirmari videtur. Apparet enim ex eo, licuisse omnino maritis de capite, id est, vita, vxorum cognoscere. Interpretati sunt quidem hunc locum, nonnulli ita, ut verba: *prisco instituto*, ad iudicium de moribus et cognatorum conuocationem atque consilium, minime vero ad ius vitae et necis maritorum in vxores, referrent, ut igitur sensus huius loci hic esset, maritum conuocasse ex prisco instituto vxoris cognatos, sicque de eius capite cognouisse. Verum enim vero, et si non inelegans est haec explicatio, non tamen hoc ea effici videtur, ut maritis de vita vxorum indicare plane non licuerit; sed hoc tantummodo ex ea sequitur, maritos non potuisse vita vxores punire, nisi adhibito cognatorum concilio; quo quidem conuocato recte pronunciari a marito capitalis sententia poterat. Neque enim putarem, extraordinarium quid hoc in crimen superstitionis fuisse, cuius rea Graecina fuit, iusque iudicandi de vxorum vita maritis a Nerone propterea praeter ordinem, in hoc casu, concessum esse, ut noua

h) *ad Tacit. Excurs. L. IV. c. 42.*

k) *Off. L. VI. c. 25.*

m) *Aural. L. XIII. c. 32.*

i) *Praef. ad Thef. Tom. IV.*

l) *Iaud. diss. p. 20.*

noua sacra, seu religio Christiana, omnibus modis supermerentur. Quanquam enim negari non potest, Nero nem summo studio id tentasse, ne religio Christiana propagaretur, quod tamen hunc in finem maritorum domesticam in vxores potestatem iudicariam ita auxerit, ut vxores, si Christianorum coetus sequerentur, vita punire possent, id quidem ex Taciti verbis non adparere, ni fallor, videatur. Etenim si locum illum paulo adcuratius inspexeris, facili intelliges negotio, Tacitum non de re nova quadam, aut tali, quae extra ordinem contigerit, sed de iure prisco loqui; et valde credibile est, eum hoc ius tanquam nouum commemorasse, si res noua fuisset, praesertim cum adnotatione aliqua non indigna fuisset. Porro quoque extra omnem dubitationem hanc Lippii opinionem posuit Plinius<sup>n)</sup>), qui duo exempla, vbi mariti de vita vxoris cognouerunt, refert. Egnatius Mecennius vxorem ebriam interfecit; et matrona quaedam, quod loculos, in quibus erant claves cellae vinariae, resignauisset, (de qua re supra iam dictum est,) a suis inedia mori coacta est. Sed quid est, quod Plinius simul narrat, Egnatum Mecennium propter eadem vxoris a Romulo absoluarum esse? Si iure imperfecte vxor, qui accusari poterat Mecennius? Sed recte accusatus erat, quia *sine iudicio* agnatorum vxorem necaverat; id quod ex altero, quod Plinius addidit, exemplo, elucet. Ibi enim nullius facit accusationis mentionem, quia matrona illa a suis, hoc est, adhibito cognatorum concilio, mori coacta est. Ex his igitur duobus exemplis intelligitur, maritos *adhibito* agnatorum concilio potuisse iure

<sup>n)</sup> Histor. Nat. laud. loco.

iurē necare vxores; quo vero *neglecto* maritus a cognatis  
sine dubio homicidii accusare poterat. Nec obstat huic  
sententiae, quod Cato in oratione illa pro dote apud Gel-  
lium dixit <sup>o</sup>): *Maritos uxores in adulterio deprehensas impune  
sine iudicio necare potuisse.* Singulare enim aliquid id fuit,  
et propterea *sine iudicio impune necari* poterat vxor, quia  
iudices, misericordia commoti, iustaeque irae mariti, qui  
vxorem in opere deprehendisset, indulgentes, eum absolu-  
vebant; quod tamen etiam postea mutatum est, ita, ut ma-  
ritus vxorem in adulterio deprehensam occidere, lege Iu-  
lia de adulteriis prohiberetur, quamquam non ordinaria  
poena ex lege Cornelia de sicariis, id est, ultimum suppli-  
cium, sed lenior, locum habebat, quia D. Pius iusto mariti  
calori ignoscendum putauit <sup>p</sup>). Ultimum denique, contra  
Lippii sententiam argumentum et quo maxime loco lauda-  
to nititur *cviacivs*, hoc est, quod in Dionysio Hal-  
legatur Ζημισν, quod sit *multare*, non vero *necare*, quod-  
que in Gellio <sup>q</sup>) reperiatur vox *multare*. Sed potest re-  
spondi, scriptum esse in Cod. Vaticano Dionysii: Ζημισν  
δανατω, quae lectio etiam placuit b. REISKIO <sup>r</sup>), atque  
extare nonnullos Gellii Codices Manuscriptos, vbi *necare*,  
*pro multare*, legatur, quod vocabulum quoque GRONO-  
VII in Gellii editione reperunt. Cur vero his Codicibus  
non sit fides habenda, praesertim cum conueniant eorum le-  
ctiones cum exemplis modo allatis, nulla videtur adesse ratio-

<sup>o</sup>) Noct. Att. X. 23.

<sup>p</sup>) Paulus reg. sent. L. II. Tit. XXVI. §. 4. l. 38. §. 8. D. ad L. Iul. de  
adult. l. 1. §. ult. ad L. Corn. de Sicar.

<sup>q</sup>) Noct. Att. X. 23.

<sup>r</sup>) in aduers. ad Dionys. Hal. T. I. p. 620,

## §. III.

*Fata sub decemuiris.*

Quamquam, quid XII. tabb. a decemuiris constitutum sit circa diuertia, satis certo sciri nequit, cum nullum legis decemuiralis de diuertia fragmentum ad nos perueniret; verosimillimum tamen omnino est, eos hoc iuris caput haud praeterisse, sed potius legem Romuleam in XII. translatisse, de qua re docta sunt, quae scriptit MARCHIVS<sup>s)</sup>. Putauit autem GOTHOFR<sup>DVS</sup><sup>t)</sup>, vestigium legis decemuiralis in Caio<sup>u)</sup> et Cicerone<sup>v)</sup> se inuenisse, quam opinionem nonnulli etiam fecuti sunt; quamquam etiam non defuerunt, qui Gothofredum propterea taxarent, quod in iis locis nihil eius, quod probare voluerit, contineatur. Licet igitur, quae et mihi hac de re in mentem venerint, paucis exprimere. Et primo quidem quod ad Caui locum attinet, is ita fluit: *Si ex lege repudium missum non sit, et id circa mulier adhuc nupta baveatur, tamen si quis eam uxorem duxerit, adulter non erit.* Dissentunt autem interpres quid sibi sub verbo: *legis*, voluerit Caius. Alii enim legem XII. tabularum<sup>y)</sup>, alii legem Iuliam de adulteris<sup>z)</sup>, alii denique ad utramque Caium respexisse existimant<sup>a)</sup>. Sed videtur omnino lex decemuiralis intelligenda esse, quia sine dubio, ut iam dixi, causas diuertiorum a Romulo praescriptas, vel etiam nouas, in XII. retulerunt decem-

viri.

s) laud. diff. p. 25. seqq.

t) Comm. ad XII. tabb.

u) l. 43. D. ad L. Iul. de adul.

x) Orat. Philipp. II. c. 28.

y) vt GOTHOFR<sup>DVS</sup> l. c.

z) V. C. E. V. OTTO in praef. ad Tom. IV. ibef.

a) BRISSON. ad L. Iul. de adul. in Gronov. ibef. T. VIII.

D

viri. Repudium igitur non ex lege, id est, ex causis in lege decemuirali definitis, missum, inualidum erat, et id circa mulier adhuc nupta videbatur. Cui omnino accedit, quod haec Caii verba ex eius ad XII. tabb. commentario desumpta sint, ideoque vero quam maxime simile sit, Caium etiam, cum haec scriberet, XII. tabulas in mente habuisse. Ex eo enim, quod Pandectarum compilatores verba illa titulo: *ad Leg. Iuliam de adulteriis*, inseruerint, nihil certi colligi potest, cum ii non semper ictorum fragmenta ad loca satis commoda retulerint.

Ex eadem porro ratione, quod non abhorreat a vero, decemuiros de causis diuotiorum sanxisse, defendantus eriam est Ciceronis locus, ad quam prouocat Gothofredus. En ipsa verba: *Nolite, nolite quarevere, frugi factus est: immam illum suas res sibi babere iussit, ex XII. tabb. causam addidit, exegit.* Castigauerunt autem hunc locum Critici misericore, ut fere nullum verbum intactum reliquerint. Omittam vero, quae ad me non pertinent. Videndum igitur tantummodo erit, an verba: *ex XII. tabb. causam addidit*, genuina sint. Alii enim verba: *causam addidit*, omitti volunt, quod et facile concedi posse videtur, cum salvo sensu abesse possint. Alii porro haec verba: *ex XII. tabulis*, pro glossemate habent, quod ab imperito e margine in textum translatum sit, ut arbitratur ADAMVS THEOD. SIBERVS, cui etiam assentit GRAEVIVS. Defendant e contrario hanc lectionem PETRVS VICTORIVS<sup>b)</sup>, MVRETVS<sup>c)</sup>, CVIACRIVS<sup>d)</sup>, quorum quidem opinio non contemnenda, cum nulla idonea ratio, delendi verba illa, intercedere videatur.

Fateor

<sup>b)</sup> Var. let. L. 2. C. 2.

<sup>c)</sup> Var. let. L. V. c. 8.

<sup>d)</sup> Olf. I. 39.

Fateor equidem, inspiciendi verba SIBERI, cuius sententiam Graeuius in notis ad Ciceronem sine addita ratione amplectitur, copiam mihi haud fuisse; sed videtur nihil minus defendenda esse illa lectio, cum sine dubio diuortium ex causa in lege XII. tabb. adprobata, fieret, aut certe fieri deberet, neque orationis elegantiae aliquid detrahatur. Quapropter etiam minus apta videtur, EV. OTTONIS emendatio, qua pro: ex XII. tabb. legi fortassis debere putat: fractis tabulis. Sed breuiter haec tantummodo monenda erant, cum libelli huius fines vberiore explicacionem haud patientur.

#### §. IV.

##### *Historia diuortiorum sub libera republica.*

Etsi Romulus, vt vidimus, certas diuortendi causas praescripsérat, quae etiam in XII. transsumtae videntur, facta tamen esse diuertia sub libera republica vel sine villa, vel certe levissima de causa, neminem fugit, cuius quidem rei exempla, si quis scire cupiat, SIGONIVS<sup>e</sup>), CORASIVS<sup>f</sup>), HEINECCIVS<sup>g</sup>), aliisque, larga manu suppeditabunt, quos tamen exscribere mihi non est animus. Illud tamen unicum addere lubet, falsam omnino videri EV. OTTONIS<sup>h</sup>) et ALBERICI GENTILIS<sup>i</sup>) opinionem, quippe qui putant, Sp. Caruillii diuortium, anno 521. factum, non primum in genere fuisse, sed primum tantummodo, quod ex alia, quam in legibus Romuli et XII. tabularum adprobata causa, factum sit. Quod vt probent, prouocant ad quemdam

D 2

P. Sem-

e) de ant. iur. Civ. L. I. C. 9. f) Miscell. iur. Civ. L. V. c. 10.

g) Aut. Rom. App. L. I. c. 1. §. 45.

h) Praef. ad Thes. Tom. IV. p. 10.

i) de iuptitis, L. 6. c. 8. p. m. 633.

P. Sempronium Sophum, quem leuissima de causa, quod  
nempe se ignorantे ludos spectauerit vxor, diuortium fe-  
cisse, testatur Val. Maximus <sup>k)</sup>. Cum vero in fastis anno  
iam 450. Consul inueniatur, P. Sempronius dictus, hunc  
primum diuortium misisse, arbitrantur. In quo tamen  
duplici quidem modo errare videntur. Primo enim Gellius<sup>l)</sup>  
et Plutarchus <sup>m)</sup> diserte dicunt, Sp. Caruili diuortium pri-  
mum *omnium* fuisse. Deinde cum Plutarchus eodem loco  
tradat, P. Sempronii Sophi diuortium *tertium* fuisse, se-  
quitur, vt P. Sempronius Sophus, qui diuortisse dicitur,  
non ille Consul fuerit, sed eius descendens, cum etiam  
Consulis illius descendentes nomine hereditario *Sophi* voca-  
ti sint <sup>n)</sup>. Et quamquam denique Auctores classici, qui  
hanc rem tradiderunt, quod ad tempus huius diuortii, in-  
ter se dissentire videntur, id tamen nihil efficit, cum re ve-  
ra consentiant. Annus enim olympiadis 137. quem Diony-  
sius <sup>o)</sup> huius diuortii tempus esse statuit, in annum V. C.  
523. incidit. Sed maximum scrupulum mouet Gellius <sup>p)</sup>,  
qui mox annum 521. mox annum 523. tanquam tempus  
Caruili repudii posuit. Sed tolli facile hic scrupulus  
potest, modo obseruare velis, Gellium rationem Catonia-  
nam et Varronianam confundisse, de qua re videri potest,  
quiclare hoc exposuit, HENRICVS DODWELLVS <sup>q)</sup>.

k) L. 2. c. 6.

l) Noct. Att. L. 4. c. 3. et XVII. 2.

m) Quaest. Rom. p. 267. T. 2. ed. Franeaf.

n) cf. HEINECC. bish. iur. L. 1. s. 112. PERIZON. animadu. bistor. c. 2. p. 269.

o) Ant. Rom. L. 2. c. 25.

p) Noct. Att. IV. 3. et XVII. 2.

q) in chronol. graeco Rom. pro hypothef. Dionys. Hal. in Vol. 4. Plutar-  
chi edit. Reisk. p. 2554.

CAPVT

CAPVT III.  
 HISTORIA  
 DE  
 CAVSIS DIVORTIORVM  
 SVB  
 IMPERATORIBVS.

---

§. I.

*Historia diuortiorum sub Augusto.*

Traditis nonnullis, quae ad historiam de causis diuortiorum sub libera republica pertinenterent, iam progredendum est ad proponendas ab Imperatoribus factas circa hanc rem mutationes. Et primo quidem constat, Augustum duas, quibus adulteriis diuortiisque modum ponere voluit, tulisse leges, Iuliam legem de adulteriis alteram, alteram legem Papiam et Poppoeam; in quarum priori, quod ad diuortia pertinet, id sanxerat, ut ne diuortium ratur effe, nisi, quod septem adhibitis ciubus Romanis puberibus, praeter libertum eius, qui diuortium faceret, effet factam: in posteriori autem lege, ne diuortii faciundi potestas libertae, quae nuptia effet patrino, quamdiu is eam uxorem esse veller, neve iniurio illo alii nubendi potestas effet, cautum erat. De quibus tamen omnibus cum a BRISSONIO<sup>a)</sup> HOFFMANNO<sup>b)</sup>, IAG. GODOFREDO<sup>c)</sup>, HEINECCIO<sup>d)</sup>,

D 3

et

a) Com. ad L. Jul. de adul. c. 28. b) ad eand. L.C. V. §. 8.  
 c) Com. ad L. Pap. et Popp. d) ad eand. L. libr. II. c. XII.

et MARCHIO<sup>e</sup>) V. C, iam satis dictum sit, nihil, quod addi debeat, superesse videtur. Sufficiat igitur haec pauca, connexionis tantummodo causa, ut, quae sequuntur, eo melius intelligi possint, obiter attigisse.

## §. II.

*Constantini M. de repudiis constitutio.*

Itaque Augustus diuortiorum quidem modum, id est, formam praescriperat, de causis tamen, quae subesse deberent, nec non de poenis iniuste susceptorum, nihil statuit. Licuit igitur usque ad Constantimum M. sine villa, aut certe leuissima de causa, modo forma, ab Augusto praescripta, seruaretur, repudium mittere. Cui malo Constantinus M. mederi adgressus, certas, siue maritum, siue vxorem respxeris, diuortii causas definiti, simulque iniusti, hoc est eius, quod sine eiusmodi causa fieret, poenas proposuit. De his omnibus tamen diuortiorum caussis, quae a Constantino M. reliquaque, qui eius exemplum fecuti sunt, Imperatoribus praescriptae sunt, in vniuersum id notandum est, diuortendi licentiam semper mansisse, eamque eatenus *restrictam* tantummodo esse, ut, si quis sine villa ab Imperatoribus constituta causa diuerteret, poenam definitam subire teneretur, cum antea sine omni poena pro lubitu repudium mittere licuerit. Diuortium autem ipsum, si ne causa factum, semper valebat; solutum igitur matrimonium, licet leuissima de causa, manebat solutum.

Extat

*e) laud. diff. §. IX. et X.*

Extat illa Const. M. constitutio in Codice Theodosiano  
no<sup>1)</sup> his verbis:

Imp. Const. A. ad Ablauium P. F. P. Placer, mulierem  
non licere propter suas pravae cupiditates marito repudium mir-  
tere, exquisita causa, velut ebrioso, aut aleatorio, aut muliercula-  
rio: Nec vero maritis per quascunque occasiones uxores suas  
dimittere. Sed in repudio mirendo a foemina haec sola crimina  
inquiri, si homicidam, vel medicamentarium, vel sepulchrorum  
dissolutorum maritum suum esse probauerit, ut ita demum lau-  
data omnem suam dotem recipiat: Nam si praeter haec tria  
crimina repudium marito miseris, oportet eam usque ad acuca-  
lam capitum in domo mariti deponere, et pro tam magna sui con-  
fidentia in insulam deportari. In masculis etiam, si repudium  
mittant, haec tria crimina inquiri conueniet, si moecbam vel  
medicamentarium vel conciliatricem repudiare voluerit: Nam  
si ab his criminibus liberam eiecerit, omnem dotem restituere  
debet, et aliam non ducere. Quod si fecerit, priori coniugi fa-  
cultas dabitus eius domum iniudicare, et omnem dotem posterio-  
ris uxoris ad semet ipsam transferre pro iniuria sibi illata.

Dat. III. Non. Maii, Basso et Ablauio COSS. (31.)

Ex qua constitutione intelligimus, Constantini M.  
temporibus maritos uxoribus ob quascunque caussas seu  
occasiones, uxores vero maritis, maxime ebriosis, aleato-  
ribus aut mulierculariis (qui quales fuerint, docet IACOB.  
GOTHOFREDVS ad h. l.) repudia misisse. Quam quidem  
pro lubitu diuortendi licentiam circumscriptis primus Con-  
stantinus M. sed non plane sustulit, cum, quod iam dictum  
est, diuertia iniusta tamen valida manerent. Ex eo adpar-  
ret,

1) l. i. C. Tb. de repud.

ret, non satis recte legis, a Constantino M. datae, sensum perspicile Interpretam Gothicum, qui coniuges ea sanctione, leui obiectione soluere matrimonium, prohibitos esse, existimat. Non enim id prohibebantur, sed *poena* tantummodo ipsis praescribebatur, si ex prauis cupiditatibus aut ob quascunque occasiones, vt loquitur Constantinus M. repudia sibi mitterent. Quapropter minime taxandus videtur CLAVD. SALMASIVS <sup>g)</sup> (vt quidem fecit GOTHOFREDVS <sup>h)</sup>) qui per hanc constitutionem maritis licuisse statuit, alii quoque de causis, hac lege non comprehensis, vxores dimittre, sed in repudianda vxore propter illa sola, de quibus agit constitutio, crimina, maritum dotem lucratum esse. Neque enim obstant huic opinioni legis laudatae verba, quod sibi persuadet GOTHOFREDVS sed confirmatur iis potius SALMASII sententia. Ita enim fluunt legis verba: *Nam si maritus liberam ab his criminibus eicerit, omnem dotem restituere debet, et aliam non ducere.* Ergo res ita se habet: Si maritus vxorem illorum criminum ream eiceret, lucrabatur dotem, aliamque ducere poterat: sin ab his criminibus liberam, id est, alia de causa eam dimitteret, matrimonium quidem rescindebatur, sed amitterebat in poenam dotem, nec ad secundas properare nuptias poterat; id quod voluit SALMASIVS.

### §. III.

*De ipsis diuorticiorum caussis ac poenis in hac lege expressis.*

Causae vero ipsae, quibus sine poena fieri diuortia poterant, ratione *vxoris* haerent: si maritus vel homicida,

vel

g) de foen. trapez. p. 311.

h) Com. ad l. 1. C. Tb. repud.

vel medicamentarius vel sepulchrorum dissolutor et violator fuerit. *Maritus* vero impune vxorem dimittebat, si eam aut moecham, aut medicamentariam, aut conciliatricem esse probauerit. Quod si *sine* eiusmodi causa ab alterutro coniugum factum esset diuortium, poenas has prescrispsit Constantinus M. vt, si quidem *mulier* iniuste diuortisset, ea dotem in domum mariti usque ad acueculam deponeret, inque insulam deportaretur. Porro *Maritus* iniuste repudians, duplucem subire poenam cogebatur, alteram, vt omnem innocentia coniugi dotem restitueret; alteram, ne ducere aliam posset. Quod tamen si fecerit, coniux prior eius domum inuadere, omnemque secundae vxoris dotem ad fener ipsam pro iniuria sibi illata transferre poterat. Quae quidem ultima constitutionis sanctio, et si satis clara videtur, tamen eam non satis recte, nisi me omnia fallunt, intellexisse et Interpres videtur, et, qui eius explicationem sequitur, IAC. GOTHO FREDVS. Puitant enim, vxorem iniuste repudiatam, si aliam duxerit maritus, potuisse non solum posterioris vxoris dotem, sed et omnia mariti bona simul, seu omnem eius substantiam sibi vindicare, quae tamen interpretatio disertis constitutionis verbis eiusque fini repugnare omnino videtur. Legis enim verba tantummodo *dotis* posterioris *vxoris* faciunt mentionem, sed de ipsis *mariti* bonis nihil dicunt, nisi forte haec verba: *eius domum inuadere*, ita intelligere velis, quod tamen qui fieri possit, me non perspicere, ingenuus profiteor. Deinde nec cum ratione huius sanctio conuenit illa explicatio. Constantinus enim sine dubio eum in finem hanc addidit poenam, partim, ne, quae eiusmodi viro nuberent, facile feminae inuenirentur,

E tur,

tur, cum praescirent, se omnem dotem esse perdituras; partim, ut, si qua tamen esset inuenta, in poenam dote priuaretur, quam ex aequitate ad vxorem iniuste repudiatam pertinere voluit Imperator. Quapropter haec poena potius aduersus ipsam secundam *vxorem*, quae sciens thorum perperam repudiatae occupauerit, quam aduersus *maritum* secundam ducentem, directa erat; id quod et ipse agnoscit Gothofredus. Quod si vero propter secundas illas nuptias vxor prior repudiata omnia *mariti* bona sibi vindicare potuisset, haec poena potius aduersus eum, quam aduersus secundam *vxorem* praescripta fuisset, quod tamen, ut vidimus, noluit Constantinus M. Ceterum ex his omnibus adparet, abrogatum esse hac lege ius antiquum, quo mariti mores, in ea quidem dote, quae annua, bima, trima die reddi debebat, puniebantur ita, ut propter *maiores* mores praesentem dotem reddere; propter *minores*, seruum mensum die; in ea autem dote, quae praesens reddi debebat, tantum ex frumentis iuberetur reddere, quantum in illa dote quadriennio reddebat<sup>i</sup>). Cum enim tantummodo ob tria illa crimina repudium fieri voluerit Constantinus, propter mores non poterat amplius diuorti, adeoque tacite hac lege iudicium de moribus sublatum est. Verum non diu obseruatam esse hanc Constantini M. sanctionem, sed actionem de moribus adhuc postea sterisse, docet non solum Constantii et Constantis lex, qua actionem de moribus nec heredibus mariti, nec contra vxoris heredes dari debere, cautum est, sed etiam Iuliani constitutio, qua dotium propter

<sup>i</sup>) *Vlp. Pragm. Tit. VI. §. 13.* iligne *Caiacius et Schultsingius.*

pter mores, vt reliquae omnes, retentiones, iniuiolatae seruari debebant<sup>k)</sup>.

Sed haec de Constantini M. circa repudia legislatio-  
ne; reliqua enim, quae ad vberiorem eius explicationem  
pertinent, videri apud SELDENVM<sup>l)</sup>, maxime vero et  
optime apud GOTHOFREDVM<sup>m)</sup>, possunt, quae repetere  
non est animus.

Exstat denique alia eiusdem Imperatoris, quae in Co-  
dice Iustiniano<sup>n)</sup> reperitur, constitutio, de qua tamen,  
cum de absentia militis, concessisque eius vxori post pree-  
terlapsum quadriennium nuptiis secundis, ideoque non  
de diuortio, proprie sic dicto, agat, nihil, hoc quidem  
loco, dicendum videtur.

#### §. IV.

*Honorii et Constantii de poenis iniusti repudii, iustique  
praemiis constitutio.*

Sequitur nunc Imperatorum Honorii et Constantii con-  
stitutio<sup>o)</sup>, qua, nouis iniustorum repudiiorum speciebus  
propositis, noui simili iustorum diuortiorum praemia seu  
emolumenta concesserunt. Ut autem eo melius, quid no-  
vi ab his Imperatoribus in hac re sancitum sit, intelliga-  
tur, lubet ipsis legi verba adponere, quae haec sunt:

E 2

Imppp.

k) l. 1. 2. C. Tb. de dotibus ibique Gorhofredus.

l) Vxor. hebr. L. 3. c. 28.

m) Comm. ad C. Theod. 1. 1. c.

n) l. 7. C. de repud.

o) est l. 2. C. Tb. de repud.

Imp. Honor. et Theod. et Conſt. AAA. Palladio  
P. E. P.

*Mulier quae repudii a ſe dati oblatione difeffevit, ſi mul-  
las probauerit diuorii ſui cauſas, abolitis donarionibus, quas  
ſponsa perceperat, etiam dote priuetur, deportationis addicen-  
da ſuppliciis: cui non ſolum ſecundi viri copulam, verum etiam  
poftlimini ius negamus. Si vero Morum viria, ac medio-  
creſ culpas mulier matrimonio reluſtata conuicerit, perditura  
dotem, donationem vivo refuidat, nullius unquam penitus  
ſocianda coniugio, quae ne viduitatem ſupri procacitate com-  
maculet, accuſationem repudiato marito ture deferimus. Re-  
ſtat, vt ſi graues cauſas arque inuolutam criminibus magnis  
conſientiam probauerit, quae recedit, doris ſuae compoſ ſpon-  
ſalem quoque obtineat largitatem, atque a repudii die poſt  
quinquemium nubendi recipiat poſteſtatem: tunc enim videbi-  
tur ſui magis viri id execratione, quam alieni appetitione fe-  
ciſſe. Sane ſi diuortium prior maritus obiecerit, ac mulieri  
graue crimen intulerit, persequatur legibus accuſatam, impe-  
riataque vindicta, et dote potiatur, et ſuam recipiat largita-  
tem, et ducenti mox alteram, liberum fortiatur arbitrium. Si  
vero morum eſt culpa, non criminum, donationem recipiat, et  
dotem relinquit, aliam poſt biennium duetur uxorem. Quod  
ſi matrimonium ſolo maluerit separare diſſenſu, nullisque vitiis  
peccatisque grauetur exelſa, et donationem vir perdat et do-  
tem, ac perpetuo coelibatu inſolentis diuorii poenam de ſoli-  
dinis moerore ſuſtineat, mulieri poſt anni metas nuptiarum po-  
teſtate confeſſa. Super retencionibus autem dotum propter li-  
beros iuvis antiqui preecepimus cœta ſeruari. Dar. VI. Id.  
Mart. Rav. Eufaſio et Agricola Coss. (421.)*

Ita

Ita constitutio, quam recte Constantio etiam tribuit Gothofredus, quamquam in eo, quod Constantius anno iam 420. in imperio ab Honorio adscitus sit, errat <sup>p)</sup>. quod sequente demum anno 421. et quidem VI. Id. Febr. factum esse docet PAGIVS <sup>q)</sup>). Pertinuit autem haec constitutio tantummodo ad Occidentem. Theodosium enim Iun. non esse huius constitutionis auctorem, ex eo apparet, quod Rauennae, vbi tunc temporis Imp. Occidentales sedem habebant, data est, et Theodosius Orientem tenebat. Quamquam vero et eius nomen in inscriptione reperitur, id tamen nihil efficit, cum Imperatores Orientales et Occidentales, tanquam Imperii Romani collegae, sua nomina constitutionibus praeponerent, licet ipsa lex tantummodo in eius Imperatoris, qui auctor legis erat, prouinciis, vim haberet; qui Imperatorum mos notus est <sup>r)</sup>. Sed veniam ad ipsius legis explicationem. Videmus autem, Imperatores non nouas praescribere diuortiorum cauissas, sed proponere tantummodo diuersas diuortiorum species, eorumque poenas. Et primo quidem, quod ad mulierem attinet, si ea prior marito miserit repudium, dueae iniusti diuortii species ex hac lege locum habebant, quarum prima, si vxor sine villa cauissa diuorterit. Sub his vero cauissis non solum inrelligendas esse, quas superiore lege praescriperat Constantinus, sed omnes omnino, efficitur ex prima diuortii iniusti, si maritum respexeris, specie, vbi is solo diffensu discedere a matrimonio dicitur, sine yllis vxoris vitiiis et

E 3

pec-

p) Chron. ad Cod. Theod. ad annum 420.

q) Cfr. Baron. ad annum 420.

r) cf. Gerboldi Proleg. ad Cod. Theod. cap. 9.

peccatis. Quod si ergo mulier solo *differens* repudiauerit maritum, id libidinis tantummodo alienique viri appetitionis causa fecisse viderur, adeoque grauissimis hanc libidinem poenis coercendam putauerunt Imperatores. Amittebat enim et sponsalitiam largitatem, omnemque dotem, et deportabatur in perpetuum in insulam, nec vnquam ad secundas poterat transire nuptias.

## §. V.

*Continuatio.*

Altera porro iniusti, ratione vxoris, diuortii species erat, si propter *morum* vitia aut *mediocres culpas* maritum dimiserit. Quae vero sint haec morum vitia culpaeque mediocres, non definitum est ab Imperatoribus. Putarem tamen, sit autem coniectura locus, omnia omnino mariti vitia et criminia, excepto homicidii, beneficii et se-pulchrorum violationis delicto, esse intelligenda. Etenim sub *magnis* criminibus causisque *grauiibus*, ex quibus impune fieri diuertia poterant, haec tria crimina accipienda videri, statim dicam. Cum autem morum vitia culpaeque mediocres istis magnis caussis et criminibus opponantur, sequitur, ut reliqua omnia delicta sub leuibus caussis culpisque mediocribus comprehendendi debeant. Poenae vero huius iniusti repudii erant eadem, que in priori specie obtinebant, hoc tamen mutato, quod non deportaretur vxor in insulam, et quod, si forte stupri, prout loquuntur Imperatores, procacitate viduitatem commaculauerit, ius eam accusandi concederetur marito, Quod ultimum tamen

tamen singulare quid, et exceptio a Lege Iulia de adulteriis fuisse videtur. Tralatitium enim est, Augustum Lege Iulia de adulteriis certum praescripsisse ordinem, quo accusari vxor adulterii deberet, qui quidem hic erat, ut primo maritus, deinde pater intra LX. dies utiles a diuortio ad accusandum admitteretur, omnibusque aliis praeponeretur; sed post illos LX. dies omnes extranei accusare posse, nisi qui specialiter prohiberentur. iam vero, cum Imperatores accusandi potestatem expresse marito tribuant, quae tamen ei iam ex L. Iulia competebat, omnino noui quid statuere voluisse videntur; illud nempe, ut maritus iniuste repudiatus etiam post illos LX. dies, seu quandocunque tempore vxor repudians stuprum commiserit, eam iure mariti accusare posset, cum ex L. Iulia post illud tempus iure tantummodo extranei ad accusationem admitteretur. Neque enim unum idemque erat, maritine an extranei iure accusaret maritus, cum in illa specie quaedam ei in accusando priuilegia competerent. Ut ergo eiusmodi priuilegiis quasi inuitaretur ad accusandum maritus, atque ea de causa magis a stupris abstineret vxor, *semper iure mariti*, etiam post illud LX. dierum spatium accusari a marito potuisse videtur. Ceterum mirum videri potest, Imperatores in priore iniusti diuortii specie non aequa hanc accusandi facultatem concessisse maritis, cum tamen aequa vxori secundae nuptiae denegatae sint, eaque sic non minus stupris adulteriisque commaculare viduitatem, ut verbis legis vtar, potuisset. Sed haec de iniusti repudiis ab vxore missi poenis; nunc de praemiis iusti diuortii in hac lege concessis.

## §. VI.

## §. VI.

*De iusto ab uxore missso repudio eiusque praemiss.*

Iustum ex hac Imperatorum constitutione diuortium erat, si graues habererit vxor causas, seu ob magna crimina nuntium marito miserit. Tunc enim dotem suam recipiebat, sponsalitiam largitatem retinebat, secundasque post quinquennium nuptias contrahere poterat. Quae vero fuerint ac esse debuerint eiusmodi caussae graues et magna crimina, iterum indefinitum reliquerunt Imperatores; unde *Gothofredus*<sup>2)</sup> cum aliis, putauit, omnia omnino crimina, quae legibus vindicabantur, publica, his verbis contineri. Verum enim vero dici forte potest, Imperatores ad ea respexisse crimina, quae Constantinus M. vt vidimus, tanquam diuortendi caussas praescripsit, ad homicidium, beneficium, sepulchrorumque dissolutionem. Cum enim Imperatores in hac constitutione, quod iam monui, non nouas iustorum diuortiorum caussas, sed tantummodo novas iniustorum repudiorum poenas proposuerint, sequitur, vt, quae lege Constantini M. de causis sancta erant, adhuc obtinere debuerint, quia hac noua lege nihil circa eas immutatum est. Iam vero Constantinus M. tria illa, quae iam nominaui, crimina, eaque sola iustas diuortii esse causas voluit, ergo sine dubio sub magnis istis, de quibus nostra lex loquitur, criminibus, intelligenda erunt. Obstat quidem hujc conjecturae videtur, diuortiorum caussas, a Constantino M. praescriptas, non obseruatas esse, sed et propter mores repudia mirti adhuc solita esse, idque ex eo

s) ad b. l.

eo statim intelligi posse, quod actio iudiciumque de moribus eriam post Constantinum M. obtinuerit, de qua re supra iam dictum est; ideoque Imperatores non potuisse ad causas illas respicere, quae non amplius in usu fuerint. Sed respondendum huic obiectioni videtur, Imperatores, propter hanc ipsam rationem, quod diuortia tot initista, hoc est, contra legem Constantini M. fierent, nouas definiisse iniustorum repudiorum poenas, adeoque, legis illius auctoritate restituta, poenisque grauioribus confirmata, eos ad causas in illa lege propositas omnino respexisse. Sed sic de iusto iniustione *vxoris* diuortio cautum erat; sequitur nunc, vt, quid iuris fuerit, si *maritus* prior diuortium fecerit, videamus.

### §. VII.

#### *De iusto mariti repudio.*

Quod ad mariti diuortium attinet, duae iterum ponuntur iniusti repudii species. Primo enim, si maritus solo *dissenſu*, id est, sine omni causa diuorterit, omnem dotem vxori restituere, omnemque ei donationem relinquare tenebatur, praeterea que a secundis in perpetuum arcebatur nuptiis. Deinde, si propter *mores* repudiasset vxorem, donationem quidem recipiebat, sed dotem reddebat repudiatae, lapsaque biennio secundum contrahere matrimonium poterat. Hae erant iniusti repudii species. Iustum vero erat eius diuortium, si *graui criminē* vxor repudii causam dedit, tunc enim maritus, impetrata vinclata, id est, si secundum eum pronunciatum esset, et dotem, et donationem propter nuptias sponsalitiamque lar-

F  
gita.

gitatem recipiebat, statimque, non post biennium, ad secunda properare vota poterat. Sed qualia erant haec vxoris crimina? Nihil iterum in constitutione definitum est; supplenda igitur iterum ex Constantini M. lege videntur, si moecham, aut medicamentariam, aut conciliatricem uxorem probauerit maritus; idque eadem, quam de mariti criminibus intellegendis supplendisque modo adduxi, ratio suadet, unde plura ad huius constitutionis interpretationem addere non lubet; nisi quod ultima eius verba aliqua adhuc explicatione indigere videantur.

### §. VIII.

#### *De dotium retentionibus.*

Addit denique constitutio, *super retentionibus dotium propter liberos antiqui iuris causa seruari debere.* Notum vero est, maritum iure veteri dotem eiusus partes aliquas potuisse certis de causis, quas indicat Ulpianus<sup>1)</sup>, retinere, de quibus huc pertinent retentiones propter *mores et liberos*. Et quidem, quod ad priorem pertinet retentionem, iure antiquissimo *totam* amittebat dotem vxor, quae ob maiores mores, hoc est, propter adulterium<sup>2)</sup>, causam dimicri dederat. Postea vero maritus *sextum* vel *sextas* ob maiores; *otiam* seu *otiamus*<sup>3)</sup>, ob minores mores poterat retinere. Sustulit tamen Constantinus M. hanc reten-

1) *Fragm. Tiz. VI. f. 9.*

2) *GOTHOFREDVS ad l. l. C. Tb. de doribus. SCHVLTINGIUS ad Ulpianum l. c. f. 12.*

3) *Varians enim est Codd. hec; cf. SCHVLTING. & CVIACIVS l. c.*

tentionis speciem, cum propter *mores* soluere matrimonium prohiberet, quod supra iam obseruatum est. Restituit eam, uti omnes dōtūm retentiones, Julianus<sup>y</sup>). Sed iterum sublata est hac Honorii, in qua explicanda versamur, constitutione, qua, solutis propter *mores nuptiis*, dōs integra vxori a viro restituenda erat. Quid posterioribus autem legibus circa hanc rem cautum sit, suo loco demonstrandum erit.

Sequitur altera dotis, quae ad nos pertinet, retentio, quae propter liberos fiebat, quamque seruari hac constitutione voluerunt Imperatores. Quod si enim culpa mulieris eiusue patris, cuius in potestate erat, diuortium factum esset, tunc singulorum liberorum nomine sextae dōtis a viro, non plures tamen quam tres, id est, dimidia pars, reuineri poterant; id quod tradiderunt Vlpianus<sup>z</sup>) et Paulus<sup>a</sup>). Verum scrupulum sane non leuem mouet Vlpianus Marcellus<sup>b</sup>), qui interrogatus, an maritus, soluto mulieris culpa matrimonio, dōtem (nimirum *totam*) retinere possit, hoc responsū dedit, vxoris culpam omnino esse multandam. Quae quidem mulcta, si responsum cum quaestione conferas, de *tora* dote, adeoque non de *sexta*, intelligenda yidetur. Itaque variae variorum huius loci existant interpretationes, vt Marcellus cum Vlpiano concilietur, quas recenser SCHULTINGIUS<sup>c</sup>) et ipse adiicit

F 2

hanc

<sup>y</sup>) I. 2. C. Tb. de dōtibus, ibique GOTHOFREDVS.

<sup>z</sup>) Fragm. I. c. 5. 10.

<sup>a</sup>) Instit. L. II. de dōtibus, in SCHULTINGII iurispr. anzj. p. m. 536.

<sup>b</sup>) in l. 38. D. Sol. marr.

<sup>c</sup>) ad Vlp. l. c. n. 32.

hanc suam, (quam et **CVIACIVS** tuerit.)<sup>d)</sup> Marcelli responsum non secundum quaestionem, quae falso a consule proposita esse poterat, sed ex legibus explicandum, adeoque non de tota dote, sed de sextis eius, intelligentum esse; quae quidem conciliario ferenda videretur. Forte tamen et hoc dici potest, Marcellum, cum Proculianorum sectae se mancipauerit, ex *aequitate* totam dotem ad maritum pertinere, arbitratum esse.

**§. IX.**

*Aliud porro dubium iniicit Imperatorum Diocletiani et Maximiani rescriptum<sup>e)</sup>, quo tota dos, quam patronus libertae dederat, ad maritum, soluto mulieris culpa matrimonio, pertinere dicitur, nisi patronus de dote reddenda stipulatione sibi prospexerit. Quod ne contrarium sit ei, quod Vlpianus tradidit, sextam tantummodo retinei posuisse, SCHVLTINGIUS<sup>f)</sup> rem ita explicuit, mortuam forte iam fuisse in illa specie vxorem *ante* motam aduersus maritum actionem, ac proinde totam eius dotem, quae aduentitia fuit, quippe data a patrono, ad maritum ipso iure pertinuisse, cum, ut idem Vlpianus testis est<sup>g)</sup>, aduentitia dos semper apud maritum remanserit, nisi is, qui dederit dotem, ut sibi redderetur, stipulatus fuerit. Verum*

d) *Obf. L. 21. c. 17.*

e) *quod est in l. 24. C. de iure dos.*

f) *ad Vlp. l. c.*

g) *Fragm. Tit. VI. §. 5.*

rum huic conjecturae obstat, dotem aduenticiam retineri a viro tantummodo potuisse, vxore *constance matrimonio*, adeoque non *post diuorium*, mortua. Cum vero in illo rescripto *diuorii* fiat mentio, mors vxoris *post* illud superveniens, ut dos penes maritum maneret, efficerem minime potuit. Atque propterea potius dicendum videtur, quod simul idem *Sobultingius* existimat, speciem in isto rescripto decisam plane singularem fuisse, quam, cum libellus complexus hodie desit, plene intelligere non possumus. Et haec de antiquo circa dotum retentiones iure; videamus nunc de recentiori.

### §. X.

*Continuatio: an et quando nouiori iure dotes retineri a marito potuerint?*

Et primo quidem Constantinus M. illa, quae supra explicata est, constitutione, eam sustulisse videtur. Quod si enim ex illa lege maritus vxorem ab iis, de quibus satis iam dictum est, criminibus, liberam eiecerit, omnem ei dotem restituere cogebatur; ergo ex opposito, si culpa mulieris, seu propter tria illa crimina, diuorium factum fuerit, non sextas, sed totam retinere dotem potuisse videtur. Certe non amplius in visu fuisse dotis retentionem ex eo colligitur, quod expresse eam restituit Honorius. Sub vxoris vero culpa, propter quam adhuc retineri dos poterat, nil aliud, nisi tria illa crimina intelligi possunt, quia propter leuiores caussas culpasque repudium ex Honori constitutione mitri plane non poterat, aut si missum esset, dos non retineri, sed vxori integra restitui debebat.

F 3

Con-

Confirmauit deinde hanc dotis retentionis speciem Nouella sua VII.<sup>b)</sup> Theodosius iunior his verbis: *Si culpa mulieris dissolutum fuit matrimonium, maritus totam ante nuptias donationem, non eius partes, ut in dote, retinebit.* In qua porro Nouella, quae iura liberis in partibus, eorum nomine retentis, competere debeant, proponitur. Habant enim pater rerum, liberis seruatarum, administrationem, non vero dominium, quod penes ipsos liberos erat, unde eas nec alienare nec pignori dare potuit pater. Quod tamen si fecerit, vicente quidem eo, valebat alienatio, sed post eius mortem, liberi res alienatas adhuc extantes, a quoquaque vindicare possesse; consumtarum vero premium a patris alienantis heredibus exigere poterant; hac solummodo concessa parentibus potestate, et diuidendi bona inter liberos pro lubitu, et eligendi vnum ex liberis, cui soli omnes res relinquere voluerint. Sed mutata est postea variis legibus vtraque haec parentum facultas. Et primo quidem, quod ad eligendi ius attinet, seruatum illud est parentibus a Theodosio<sup>i)</sup> eo tantum casu, si *diuortio* solutum esset matrimonium. Deinde potestatem diuidendi ita circumscripsit Maiorianus<sup>k)</sup>, vt matri post obitum mariti, ad secundas nuptias transeunti, non amplius liceret, ex quantitate sponsalitiae largitatis maximam partem in vnum filiorum conferre, sed vt omnes liberi *aqua lance* succederent. Quam Maioriani legem repetuit etiam Severus, hoc tamen addito, vt mater sponsalitiae largitatis

<sup>b)</sup> in app. Cod. Theod. edit. Ritter.

<sup>i)</sup> l. 8. §. 7. C. Iust. de repud.

<sup>k)</sup> Nov. sua VIII, in app. C. Theod. ex edit. Ritter.

*vsum fructum*, qui ei ex lege competebat, seruata liberis proprietate, conferre in vnum e filiis pro libitu posset, modo proprietatis commoda cunctis pariter filiis deputata, ut sunt Seueri verba, non minuerentur,

§. XI.

*Quid Iustinianus de electione disposuerit, soluto per diuortium matrimonio.*

Sustulit denique plane Iustinianus hanc electionem <sup>1)</sup> quum, nullam amplius esse matribus, ad secunda vota propterantibus, licentiam, alios quidem filios eligendi, alios autem exhortandi, sed donationis ante nuptialis proprietatem, lucrum omnium filiorum fieri, constitueret. Atque haec quidem, soluto morte coniugio, cauta a Iustiniano videntur. Sed quid, si diuortio rescissum sit matrimonium, de qua re imprimis nobis sermo est, an tunc ei adhuc eligendi potestas competit? Competuisse putat *cvi ac civis* <sup>m)</sup> quia laudatam Nouellam non de diuortii, sed de mortis casu loqui, ideoque si diuortium factum sit, ius antiquum manere, existimat. Sed videamus an non forte Iustinianus in illa Nouella legem generalem circa electionis ius praescribere voluerit, nullo respectu habitu, an morte aut diuortio solutum sit matrimonium. Mouit sine dubio Cuiacium, ut Nouellam de morte solummodo interpretaretur, haec ratio: quod vxor quaedam, cuius matrimonium morte mariti dissolutum erat, occasionem huic legi dedit. Totam enim huius Nouellae rationem et histo-

riam

1) *Nov. II. c. 1. et XXII. c. 25.*

*m.) ad Nov. II. c. 1.*

riam ipse narrat in praefatione Iustinianus, quo quidem facto, capite primo ita scribit: *Prospexitus itaque, non confusum hoc electionibus indiscretumque relinqueve, sed huicmodi dare ordinem causae: Matre semel ad secundas nuptias veniente, lucrum mox omnium filiorum proprietatem donationis fieri antenuptialis, et nullam esse licentiam matri, alios quidem filiorum eligere, alios autem exbonorare: quoniam omnibus simul secundis nuptiis fecit iniuriam.* Ex quibus verbis facili intelligi negotio potest, finem, quem sibi proposuerit consequendum Iustinianus, fuisse hunc, ut aequalitas inter liberos seruaretur, quod ex his patet verbis: *quoniam omnibus simul fecit iniuriam.* Cum vero semper per electionem, sive propter diuortium, seu propter mortem solutum sit matrimonium, inaequalitas inter liberos oriatur, quam tam abesse voluit Iustinianus, efficitur, semper etiam cefare eligendi facultatem debere. Secernenda itaque est huius Nouellae occasio ab eius fine.

### §. XII.

#### *De legibus Theodosii circa diuortia.*

Progrediendum nunc est ad constitutiones, quas de diuortiis emisit Theodosius Iunior, quarum altera extat in eius Nouellis <sup>2)</sup> post Codicem datis, altera vero in Codice Iustinianeo reperitur. Sed de singulis separatim. Quod ad primam, anno 439. euulgatam attinet, ea ita concepta est:

*Impp.*

*aj. Tit. XVII. in app. C. Th.*

Imp. THEOD. et VALENT. AA. Florentio PP. P.

*Consensu licita matrimonia posse contrahiri, contracta non nisi missio repudio dissolui praecipimus. Solutionem enim matrimonii difficultorem debere esse favor impetrat libe vorum. Sed in repudio culpaque diuortii perquenda, durum est veterum legum moderamen excedere. Ideoque constitutionibus abrogatis, quae nunc maritum, nunc mulierem matrimonio soluto praecipiunt poenis grauissimis coberceri, bac constitutione repudia, culpas, culparumque coberciones ad veteres leges responsaque prudentium revocari censemus, Florenti Parens Carissime atque amantissime. Illustris itaque et magnifica auctoritas tua, quae prouidentissime constituta sunt, editis propositis publicare praecipiat. Dat. VI. Id. Iul. Confsp. Theod. A. XVII. et Feflo COSS.*

Ita Theodosius hac Nouella, qua prioribus, quas iam explicauit, de diuortiis constitutionibus derogatum videtur verbis: *abrogatis constitutionibus*, id quod nonnulli statuant <sup>o)</sup> eti sententiam appellat *Gotofredus* <sup>p)</sup> (quam tamen ipse tuerit in notis ad l. 1. C. Tb. de repud.) cui etiam assensum praebet suum Ritterus <sup>q)</sup> hac quidem de causa, quia in hac Nouella non de poenis iniustorum repudiorum, ut in prioribus constitutionibus, sed de poenis coniugis, cuius culpa matrimonium solutum sit,

agatur

<sup>o)</sup> u. g. Seldenus Vx. hebr. Lib. III. c. 28.

<sup>p)</sup> ad l. 2. C. Tb. repud.

<sup>q)</sup> in not. ad b. Nov.

G

agatur; quam ob rem eriam Ritterus suspicatur, extitisse constitutiones, quibus graues poenae coniugi, qui diuortii causam dedisset, praescriptae fuisse, quae tamen temporum iniuria perierint; atque has deperditas constitutiones hac Nouella abrogari arbitratur. Verum videamus, an non fortasse sententia illa, quod Constantini M. reliquorumque imperatorum constitutiones de diuortiis, quae adhuc extant, quasque hactenus explicuimus, obrogatae sint, defendi possit, quamvis graue atque temerarium omnino videatur, aliter, atque tanti viri, sentire. Et primo quidem dubium videtur, eas tantummodo constitutiones, quae de poenis culparum, in diuortiis mittendis adhibitatum, egerint, quasque abrogare hac Nouella voluerit Theodosius, periisse, cum tamen reliquae imperatorum, quae de diuortiis latae sunt, leges, quod ego sciam, extant. Deinde non solum de repudiorum culpis, sed et de diuortiis ipsis in hac Nouella agi videtur. Inhaerer quidem Ritterus verbis: *culpas, culparumque cohereditiores ad veteres leges reuocari censemus*; sed omisit verbum: *repudia*, vt igitur sensus hic esse huius Nouellae videatur: *repudia*, id est, *causas repudiorum, eorumque culpas, culparumque cohereditores ad veteres leges reuocari censemus*; quod etiam euincunt haec Nouellae verba: *sed in REPVDIO CVLPA QVE diuortii inquirenda*. Denique negandum videtur, in prioribus, Constantini M. et Honori de diuortiis constitutionibus, nihil de culparum poenis cautum fuisse. Quod si enim vxoris, quod primo ad hanc attinet, *culpa* in eo consisteret, quod sine iusta causa diuortium marito misisset, omnem dotem amitterebat, atque in insulam deportabatur; sin *culpa* eius haec esset, quod criminum rea inueniretur, dote multabatur.

Mari-

**Maritus vero,** si eius culpa factum esset diuortium, id est, si innocentem coniugem eiecisset, omnem dotem restituere, nec aliam ducere vxorem poterat. Enī culparum poenas a Constantino M. definitas! Videamus nunc de Honoriī constitutione, quae ibi culparum poenae praescriptae fuerint. Atque *vxoris* quidem culpa triplex ex hac lege esse poterat. Primo enim in *culpa* erat, si sine causa discederer. Altera *culpae* species haec erat, si propter mores dimitteret maritum; ultima denique, si propter graues causas repudium ei a marito mitteretur, quae omnes culparum species quomodo punitae sint, supra iam dictum est. De *mariti* vero culpa in diuortio mittendo eadem se re dicenda sunt: Si enim vel sine illa causa, vel propter mores vxori nuntium misisset, vel denique propter crimina ipsa vxor ab eo diuorteret, in culpa erat. Ex quibus omnibus efficitur, Imperatores, iniustorum diuortiorum poenas statuentes, simul culparum in diuortio adhibitarum coerciones adhibuisse, cum omne iniustum diuortium etiam culposum esset. Itaque antiqua, diuertia pro lubitumittendi, licentia, plene fere hac lege restituta est.

### §. XIII.

#### *E p i l o g u s .*

Sed sufficient haec de diuortiis eorumque causis et poenis, Supersunt adhuc multa, que de hac re in Codice Iustinianeo inueniuntur, explicanda. Verum seruanda sunt haec omnia ali libello, cum hic fines praescriptos egre-

egrederetur, si, quae nouissimo iure cauta sint, eo complecti simul vellem. Quod si haec qualisunque scriptiuncula viris doctissimis, quorum iudicio submittenda est, non plane displicerit, eo maiori studio, ut, crescente cum aetate doctrina, meliora aliquando et maturiora proferam, elaborabo.

---

Erratum:

Pag. 21. lin. vlt. delenda sunt verba: *propter adulterium.*

1078


ULB Halle  
005 361 494



3







HISTORIA  
IVRIS CIVILIS  
DE  
*P. J. G.* DIVORTIORVM CAVSSIS  
ET POENIS  
EX  
LEGIBVS VTRIVSQVE CODICIS  
ET NOVELLIS  
ILLVSTRATA.  
DISSERTATIO PRIOR  
QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRO  
SVMMIS IN IVRE VTROQVE HONORIBVS  
CAPESSENDIS  
D. XII. SEPTEMBER. CIOIO LXXXII.  
DEFENDET  
M. IO. FRIDERICVS IVNGHANS  
IVR. VTR. BACC.  
LIPSIAE  
LITTERIS SOMMERIANIS.

